

8

Q. D. F. F. E. L.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
QVADRVPPLICI  
HAEMORRHAGIARVM  
NATVRALIVM RESPECTV

QVAM  
AVXILIANTE SVMMO NVMINE  
CONSENSV ATQVE AVTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE  
V I R O

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
DN. IOANNE IVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE PVBL. ORDIN.  
PRACTICO ORPHANOTROPHEI ET PAEDAGOGII REGII FELICISSIMO

H. T. DECANO SPECTATISSIMO

FAVTORE PRAECEPTORE

OMNI DEBITO AC RELIGIOSO PIETATIS CVLTV

AD CINERES DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

AD DIEM

OCTOBRIS MDCCXXXVI.

PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R

CAROLVS LVDOVICVS MECKELBVRG

REGIOMONTI BORVSSVS.

---

HALAE MAGDEB. LITTERIS GEBAVERIANIS.

Q. D. R. E. I.

DISSERTATIO IN AVGVRAIS MEDICA

QVADRIPLICI

HAE MORRHAGIARVM

CAVSARVM RESPECTV

QVAE

ASSISTANTIBVS SVBNO NVMERIS

CONSENSV AVTOE AVTORITATE

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRI

MDCCCLXXII

DR. JOHANNES IVANCKERO

AVCTORE

GRADV DOCTORIS

PRO GRADV DOCTORIS

MDCCCLXXII

AVCTORE

GRADV DOCTORIS

PRO GRADV DOCTORIS

MDCCCLXXII



**VIRO ILLVSTRI**

PROSAPIA, ERVDITIONE, MERITIS, NOMINE,  
ET MVNERIS DIGNITATE ORNATISSIMO

EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O

**DN. IOANNI IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI PVBL. ORDIN. IN ALMA  
FRIDERICIANA DIGNISSIMO ET PAEDAGOGII ET ORPHANOTROPHEI  
GLAVCHENSIS PRACTICO QVAM FELICISSIMO, H. T. DECANO  
FACVLT. MED. SPECTATISSIMO

FAVTORI PRAECEPTORI, EA QVA DISCIPVLVM DECET  
REVERENTIA IN AETERNVM COLENDO.

NEC NON

**VIRO**

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO AC DOCTISSIMO

D O M I N O

**DN. DANIELI MELTZER**

BORVSS. REGIS A. CONSILIIIS AVLICIS GRAVISSIMO CONSISTORII  
SAMBIENSIS QVOD REGIOMONTI FLORET CONSILIARIO MERITISSIMO  
MEDICINAE DOCTORI AC PROFESSORI IN ALBERTINA ACADEMIA  
PVBLICO ORDINARIO VIGILANTISSIMO

PATRONO AC PRAECEPTORI SVO AD CINERES DEVOTA  
AC RELIGIOSA MENTE DEVENERANDO,

NEC NON

**VIRO**

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO AC DOCTISSIMO

D O M I N O

**DN. IO. EBERHARDO IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORI AC HALENSI PRACTICO LONGE CELEBERRIMO  
FAVTORI AC HOSPITI SVO PIO ANIMI CVLTV IN  
PERPETVVM PROSEQVENDO.

NEC NON  
V I R O  
MAXIME REVERENDO, DOCTISSIMO AC CLARISSIMO  
D O M I N O  
DN. IACOBO MECKELBURG  
LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO AMPLISSIMO COETVS  
LOEBNICENSIS DIACONO FIDELISSIMO,  
PATRVO SVO EO QVO FILIO PAR EST SINCERAE PIETATIS  
ADPECTV AD VRNAS OBSEQVENDO.

HOCCE QVALECVNQVE  
GRATAE ET DEBITAE MENTIS DOCUMENTVM  
PRO TOT TANTISQVE EXHIBITIS BENEFICIIS.

CVM VOTO  
PERPETVAE AC OMNIGENAE  
PROSPERITATIS AC FELICITATIS.

SVBMISSA

D. D. D.

AVCTOR.



CoGITANTI mihi de materia disputationis medicae inauguralis, obtulit sese peropportuna occasio, ut casum quendam de haemorrhagia vteri admodum urgente et diu durante, audirem: meditabar iterumque meditabar, quid causae subesse possit effrenatae huius fluxionis. En! brevi moriebatur aegrotans, et facta sectione sufficiens praegressae turbae ratio reddebatur. Apparebat enim vterus variis laesionum generibus disseminatus, scirrhis scirrhosisque nodis vndique circumdatus, quorum alii tunica sua adhuc erant inclusi, alii autem in ulceratam conditionem iam abierant; praeterea partes vicinae et adnexae inveniebantur laesae; inter quas ovaria maxime erant intumefacta. Ex his aegrae circumstantiis motus haemorrhagicos intelligere eo melius edocebar, et quum partium mearum esset dissertationem elaborare, hanc materiam pro themate eligere fas esse ducebam. Visum autem mihi fuit, hanc qualemcunque tractationem titulo de *quadruplici haemorrhagiarum naturalium respectu* insignire, eosque fines, quantum vires permittere voluerunt, explicatius tradere. Ne autem sine ordine scripsisse viderer, thema illud tribus capitibus absolvi, quorum primum de differentiis, speciebus et causis haemorrhagiarum agit; alterum quadruplices earundem respectus speciatim explicat; tertium tractationem haemorrhagiarum therapeuticam, ad quatuor earum fines accommodatam, continet. Faxit summum nuncien, vt hic labor in sui gloriam et proximi felicitatem valeat.



## CAPVT PRIMVM.

*De differentiis, speciebus et causis haemorrhagiarum naturalium.*



§. I.  
 Ad corpus nostrum eiusdemque mutationes si respicimus, experimur, quod interdum per loca particularia sincerus sanguis eliminetur; quem eliminationis actum generali nomine *haemorrhagias* salutare consuetum est. Quemadmodum autem omnia fere artis medicae vocabula technica ex graeco linguarum fonte ortum suum acceperunt: ita etiam haemorrhagia a graecis illis vocabulis *αιμα* sanguis et *εργον* rumpo, derivatur.

## §. II.

Quod ad *differentiam* attinet, haemorrhagiae duplicis generatim generis deprehenduntur: alteras enim appellamus *naturales* seu *activas*, alteras *praeternaturales* seu *passivas*; quarum priores iterum in haemorrhagias tempore, aetate, sexu, temperamento, loco et indole discrepantes, iure cum aliis distinguimus; quos singulos sanguinis fluxus vberius explicare, necesse esse ducimus.

## §. III.

*Naturalem* haemorrhagiam illam dicimus, quae ab interna causa, speciali ad locum quendam per motum tonicum directione oritur. Quare haemorrhagiae a causa violenta externa huc non pertinent, sed tantum illae, quae *active* considerandae sunt, et tanquam saluberrimum plethorae imminuendae remedium haberi debent.

## §. IV.

*Praeternaturalis* autem haemorrhagia agnoscit suum ortum,



tum, uti modo dictum est, a causis externis, violentis. E.g. si quis labitur, vel alia ratione laeditur, vel V. S. instituitur. Hinc mere *passiva* nominatur, quoniam principii vitalis consilio et ope non producitur.

§. V.

Quod ad *indolem* haemorrhagiarum naturalium attinet, illa vel est *modica* et si locus excretionis securus, bona, vel *immodica* seu *nimia* quae semper mala.

§. VI.

Differentia ratione *temporis* in eo consistit, ut sint vel *periodicae* vel *vagae*. *Periodicae* sunt, quae certa tempora observant, ad quas etiam *criticas* sanguinis excretiones iure referre possumus. Nam haec plerumque eveniunt statim die septenario, qui *criticus* salutatur. *Vagae* autem modo hac modo illa die, iam his iam illis temporibus contingunt.

§. VII.

Haud negligenda porro est *aetatis* differentia, quae, quoniam ex illa ut plurimum uniuscuiusque aetatis morbos intelligere discimus \*) praecipue est consideranda. Familiaris enim est, haemorrhagia *narium* hominibus in puerili aetate constitutis, iuvenibus autem magis contingit *haemoptysis*, provecior aetas *fluxus* experitur *haemorrhoidales*.

§. VIII.

Sicuti vero nulla regula sine exceptione, sic etiam illa hic habet locum. Experientia enim nos edocet, senilia interdum existere subjecta, quae, cum in tertia corporis cavitate motus haemorrhagicos sentire deberent: in prima eosdem animadvertunt. Quem statum *palindromen* seu recursum nominare solemus, quique ut plurimum impedimenta quaecumque abdominalia pro fundamento habet.

§. IX.

\*) Vid. STAHLII *diff. de morbis aetatum*.

## §. IX.

Porro ratione *sexus* differunt: nam uti menses et lochia *sexui* feminino sunt propria; sic fluxus haemorrhoidum magis competit viris, et licet feminae interdum haemorrhoides quoque experiantur, tamen denominatio fit a potiori, et motus haemorrhoidarius habetur virilis.

## §. X.

Dissentiunt inter se eruditi, cuinam praecipue *sexui haemoptysis* sit frequentior <sup>b)</sup>; quare non superfluum esse duxi, quaedam de hac materia hic brevibus adponere. Attribuerunt nonnulli illam *sexui* masculino, quia ad motus haemorrhoidarios prae feminis inclinet, §. IX. et his turbatis ac suppressis sanguinis circulus ad pectorales regiones frequentius tendere atque haemoptysin producere possit. Alii contrarium statuentes dicunt: non omnes viros haemorrhoidum fluxum pati, omnes autem feminas fluxui menstruo obnoxias esse: cumque experientia doceat, quod mensium suppressio haemoptyseos genitrix sit, tum pro certo habent, eam *sexui* feminino esse frequentiore, quam quidem masculino. Si dicendum quod res est, posteriori sententiae subscribendum esse videtur: qui enim *sexus* maiorem ad motus haemorrhagicos dispositionem generatim continet, ille etiam speciatim haemoptysi magis est obnoxius. Interim si a posteriori experientiam consulimus, calculus in eis locis non est ducendus, in quibus scholae et academiae, id est, plures iuvenes, vitam sedentariam agentes, reperiuntur, sed potius in iis, ubi *sexus* uterque pari numero et eodem vitae genere commoratur

## §. XI.

Haemorrhagias naturales respectu *viarum* maximopere differre,

<sup>b)</sup> COSCHWITZ Professor quondam Halensis Haemoptysin *sexui* virili magis adtribuit. IVNCKERVS autem in alteram partem abit, cui etiam addentit GOHLIVS Lib. II. cap. V. de vomitu cruento. §. 18.

ferre, supra paucis notatum, et nunc explicatius tradendum est. Aliae enim per secura excretoria fluunt, uti sunt haemorrhagiae narium, menses, lochia, haemorrhoides. In aliis vero bonam quidem intentionem, sed periculosam viarum inventionem animadvertimus; e. g. si per pulmones, ventriculum, renes, oculos, et umbilicum sanguis excernitur. Qualia exempla notatu digna autorum scripta nobis reliquerunt. <sup>c)</sup>

§. XII.

Ultima denique haemorrhagiarum naturalium differentia, in *temperamenti* ratione consistit: quod enim sensibilibioris et agillioris magis indolis est, illud frequentius haemorrhagiis obnoxium esse observatur; Quare sanguinei, sanguineo-choleric, choleric-sanguinei, qui humoribus fluxilibus, sanis, et floridis praediti sunt, soepius haemorrhagias experiuntur, quam quidem phlegmatico-melancholici, et melancholico-phlegmatici, in quibus particulae aquosae, terrestres, crassae abundant.

§. XIII.

Sufficiant haec de haemorrhagiis naturalibus generatim dixisse: quare ad singulas earum species nunc me convertam, nempe ad haemorrhagiam narium, haemoptysin, haemorrhoides, fluxum mensium, fluxum lochiorum, vomitum cruentum et mictum cruentum.

§. XIV.

Haemorrhagia *narium* contingit, quando ministrante motu tonico sanguis ad capitis partes majori affluxu dirigitur, ibique per unam alteramve nares excernitur. Aetati juvenili per (§. VII.) familiaris apprehenditur.

§. XV.

Differtationis limites non concedunt, neque adeo utilitatis  
B est,

c) De eruptione sang. in ped. et brach. vid. STAHLII dissert. de motu tonico vitali. De haemorrh. per umbilicum. confer. HILDANVM Cent. 3. observ. 37.

est, cuiusvis haemorrhagiarum speciei signa prolixius tradere: quod vero ad causas attinet, eas perscrutari in fine hujus capituli conveniet,

## §. XVI.

*Haemoptysis* est evacuatio sanguinis *arteriosi*, circa pectus congesti, quae ope motus tonici per vasa pulmonaria contingit, quaeque a vomitu *cruento* probe discernenda: in hoc enim sanguis *venosus*, versus venam portae congestus, ibidemque stagnans per vasa brevia in ventriculum deductus, laborioso vomendi conamine ex illo excernitur; quo actu maior praecordialis anxietas majorque reliquorum symptomatum molestia adest, quam in haemoptyli. Cui vero aetati et sexui haec species praecipue contingat ex §. VI. et X. patescit.

## §. XVII.

*Haemorrhoidum* nomine venit ille sanguinis fluxus, qui modo circa orificium intestini recti, modo paulo profundius ex vasis haemorrhoidalibus originem ducit: unde in *externas* et *internas* dividuntur. *Internae* ex ramis haemorrhoidalibus venae portae, ut plurimum e ramo splenico, proveniunt, quare ex intestino recto profundius una cum alvi deiectione excernuntur. *Externae* vero ex vena cava circa orificium intestini recti oriuntur, raro autem verum stillicidium siliunt, sed plerumque coecis tantum conaminibus molestiam adferunt.

## §. XVIII.

Fluxus *menstruus* dicitur, qui singulis mensibus sanguinem ex vasis uterinis per loca genitalia mulierum eliminat; differt autem ab *haemorrhagia uteri*, quae sine temporis respectu successibus modo placidis modo impetuosius, fere continuis, sanguinem per uterum excernit, et potissimum post mensium cessationem obvenire solet.

## §. XIX.

De fluxu *menstruo* notissimum est, quod illius ut plurimum ini-

initium sit anno decimo quarto, finis autem quadragesimo nono. Praeter hanc temporis periodicam rationem consideratione dignum videtur, quod iste fluxus *phasibus lunae* in pluribus respondeat, eo quidem modo, ut iuniores in novilunio, aetate provectiores vero in plenilunio illum experiantur. Prae aliis autem haemorrhagiis fluxus menstruus determinatam temporis habet periodum, quarto enim septenario ordinarie contingit: inde STAHLIUS hunc fluxum ad criticas eliminationes primus recensuit. <sup>d)</sup>

§. XX.

De *lochiiis* constat, quod sint evacuationes sanguinis per genitalia contingentes, solisque puerperis, foetu excluso, propriae.

§. XXI.

*Mictus cruentus* sicuti est sanguinis ad vasa emulgentia in renibus congesti evacuatio per vias urinarias: ita iure illis haemorrhagiis adnumerari debet, quae non per secreta loca fluunt.

§. XI. - - Non semper autem hic fluxus est *pure activus*: dantur enim aliquando *passivae* harum viarum laesiones. E. g. a calculo renum asperiore. Distinguendus porro est ab *haemorrhoidibus vesicae*, quas HOFFMANNUS inde deduxit <sup>e)</sup>, quod ramus venae haemorrhoidalis externae hypogastricae sepe in vesica multisque ibi sparsis furculis aperiat, ac immediate sanguinem in vesicam emittat. Cui sententiae facile adstipulamur, si symptoma difficilis urinae, cum haemorrhoidibus vesicae conjunctum, consideramus. Nam ordinarius mictus cruentus ut plurimum indolens esse solet.

HIPPOCRATES ipse <sup>f)</sup> hanc differentiam inter mictum cruentum et vesicae haemorrhoides observasse videtur, cum ita scribit: „Quicumque sanguinem non sponte mingunt, illis a renibus venulam ruptam significatur: e contra si

B 2

san-

d) Confer ejus programma de fluxu muliebri quatenus menstrui causis.

e) *Medic. consult. part. I. pag. 44.*

f) *sect. IV. Aph. 78. Sect. ead. Aph. 80. Sect. VII. Aph. 39.*

„sanguinem mingant, aut grumos vel fillicidium vrinae habeant,  
 „et dolor in anum incidat ventrem, et ani ac scroti intercape-  
 „dinem, circa vesicam labor est.“

## §. XXII.

Explicatis haemorrhagiarum speciebus insignis nunc sese offert campus, in quo variae autorum sententiae de *causis* haemorrhagiarum naturalium allegantur. Multum quidem in hac aetiologia dissentiunt, generatim tamen in eo conveniunt pluri- mi, quod a causis mere passivis eas derivare soleant.

## §. XXIII.

Sic multi pro causa efficiente constituerunt *acrimoniam san- guinis*, quae arrodendo vascula sanguifera aperiret. Verum huic sententiae repugnant sequentes rationes. Hic sanguis, qui acris et corrodens putatur, aut universalis aut particularis esse debet, si prius: certe in corpore humano occurrunt vascula multum subtiliora, quam in locis haemorrhagicis, et tamen acrimonia effectum suum in illis non praestat. Si posterius, omnes haemorrhoidarii internas partium corruptiones ut habent, necesse esset. Nam si acrimonia in externis partibus talem effectum ederet, multo magis eum praestitura esset in internis. \*) Porro *salsa*, quae dicitur, *pathologia* praecipue docet, acrem materiam nervis esse maxime inimicam: quid vero causae sublit, quod illa acrimonia, quae in sanguine reperiri statuitur, nervorum ramis tam benevole parcat, disquirant, quorum interest. Porro experientia docet, quod, si quis ex congestione sanguinis versus caput dolores aliaque incommoda persentiscat, ille post haemorrhagiam narium sufficientem, exoptatam experiatur alacritatem<sup>b)</sup>. Denique huic hypothese homines, lue venerea infecti, maxime contradicunt: illi enim humoribus acris et rodentibus abundant, ideoque praeceteris, haemorrhagiis deberent esse

\*) Vid. IVNCKER. *Pathol. Tab. VIII. de haemorrh. nat.*

b) *loc. cit.*

esse obnoxii. Sed quid ad haec loquitur experientia? longe certe alia.

§. XXIV.

Alii quum sententiae hujus falsitatem perspicerent, meliorem se invenisse causam haemorrhagiarum in *obstructione vasorum* putarunt.

§. XXV.

Longus autem in hac hypothesei refutanda esse non debeo; anxie enim haerent ipsi obstructionis patroni, si fluxum muliebrem menstruum ex hac obstructionis aetiologia explicare debent. Cuius hypotheseos falsitatem solide refutavit STAHLIUS, dissertatione *de obstructione vasorum sanguiferorum*, quam igitur hac in re perlegendam iure commendo.

§. XXVI.

Ad *tertiam* iamiam progredimur sententiam, qua multi per *transudationem* causas haemorrhagiarum explicare annisi fuerunt, iudicantes, quod, uti per cutaneos poros subtilioris feri quaedam portio in sudore excernatur, ita etiam sanguis, admodum resolutus, et subtilis, vasculorum poros penetrare, et sic verum sanguinis fluxum producere posset. Verum haud difficile est, huius quoque hypotheseos falsitatem perspicere. Nam in sudore quidem excernitur serum subtilissimum, in haemorrhagiis autem evacuatur sanguis sincerus, spissiusculus et gelatinosus, germ. ein gesundes und substantiöses Geblüt. Porro per sudorem eliminantur feri guttulae, in haemorrhagiis vero contingunt fluxus saepissime ita nimii, ut vitae iacturam inferant. p. §. V. Ponamus autem, quod per transudationem resolutus sanguis in forma haemorrhagiae excernatur; quis vero est, qui in tanta resolutione ei modum, mensuram et limites ponat? Praeter ea ex physiologicis quoque praeceptis errorem huius hypotheseos detegere licet: nam ex iis constat, ad nutriendum corpus omnino pertinere massam consistentem et gelatinosam: si

autem haemorrhagarum subiecta tam resolutum et volatilem quasi haberent sanguinem, tum sane sufficienter nutriri non possent; cuius tamen contrarium experientia evincit.

## §. XXVII.

Sunt denique, qui aetiologia sua in subsidium vocant *sublatum sanguinis aequilibrium*; cui sententiae ansam dedit, quod, praesentibus haemorrhagiis, inaequalitatem circuli sanguinei simul, concurrere observarint. Sed est fallacia causae non causae: specialis enim sanguinis directio, quam in congestionibus haemorrhagicis observamus, non derivanda est ab illius gravitate, sed a cordis systaltico et fibrarum tonico motu. *Recentiores* denique aliis quidem verbis sed rebus parum mutatis aetiologiam suam exponunt, dicentes: *motum a peripheria ad interiores partes converti*, atque ex eo circulationem fieri inaequalem et ex hac haemorrhagias provenire. Quae vero sit energia illa seu causa motum a peripheria introrsum adeo convertens, ut in pluribus determinato, periodico, menstruo tempore recurrat, partes fibrarum externas contrahat, vasa sanguifera angustet, et sic liberorem in peripheria circulum sufflammando sanguinem ad peculiaria, eaque determinata et plerumque congruentia haemorrhagica loca, transferat: de eo sane altum ab eiusmodi pathologis agitur silentium.

## §. XXVIII.

Sed discedam nunc ab illis causis, quae nil nisi res materiales, easque praeter naturam constitutas, pro haemorrhagarum origine habent, et recentissimae *scholae organicae* de haemorrhagiis naturalibus mentem explicabo. Agnoscit quidem illa in hoc negotio causas quoque *materiales*, videlicet sanguinem abundantem, praecipue commotum, consistentiam illius spissam et qualitates saepius depravatas: eandem etiam agnoscit *causam formalem*, nempe fibrosarum partium in peripheria constrictionem et hic dependentem hydraulicam humorum ad interiora et partu-




ficularia loca restrictionem, vasorum ibidem extensionem et tandem perruptionem; pro *efficiente* autem et finaliter dirigente causa excludit omnem materiam, utpote finali intentione et actione destitutam, atque illius loco habet causam moventem *immaterialem*, scilicet *spiritum sapientem*, ad certos fines operantem ac dirigentem.

## §. XXIX.

Immateriale hoc principium, quod in humano corpore directorem agit, respectu quidem vitae *naturalis naturam*, respectu autem *spiritualis spiritum* seu *animam* appellamus, tanquam veram omnesque haemorrhagias efficientem causam agnoscere et statuere adeo convictus sum, ut omne dubium, quod de ea re concipi posset, a me sit alienissimum. Non est autem hujus loci probare, quod natura omnes motus in corpore nostro suscipiat atque moderetur: sed hanc hypothesein tanquam veram et ab aliis demonstratam iam supponimus, eandemque ad motus haemorrhagicos applicando dicimus, quod hic motor et director pro ingenua quoque haemorrhagarum causa iure sit agnoscendus. Quemadmodum autem natura nihil frustra facit: sic etiam in sanguinea hac actione salutares fines respicit; de qua re ut quadruplicem respectum exponamus, in rubro promissimus, et capite sequente effectui dabimus.





## CAPVT SECVNDVM.

*De quadruplici respectu haemorrhagiarum naturalium speciatim.*

## §. I.

**R**espectus in hoc significato denotat finem, cuius gratia aliquid suscipitur. Cum vero, ut supra dictum est, nulla actio contingat sine fine, tum etiam in haemorrhagicis actionibus certum finem seu respectum agnoscere debemus. Sicuti autem vnius rei plures esse possunt causae, sic etiam vnius causae agentis moventis et dirigentis plures existere valent fines. Atque hos haemorrhagiarum fines seu respectus esse quadruplices, nunc erit explicandum.

## §. II.

*Primum ac principem respectum dicimus esse imminutionem plethorae molestae; alterum spissi sanguinis, statim passim minuantis, attenuationem; tertium pravae qualitatis correctionem et expulsionem; quartum denique laesionis cuiuscunque partium solidarum absterfionem et restaurationem.*

## §. III.

Ad *primum* quod attinet respectum, nempe *plethorae imminutionem*, nemo facile medicorum, cuiuscunque hypothese sit addictus, de eo dubium movere solet. Vsque enim adeo hic finis pervulgatus est; ut ab omnibus in scholis medicis verbum *tendere* receptum, et privilegio quasi donatum sit, licet *puro mechanismo* non adeo quadret. Vnde ubique fere audire licet *der dicke Kopf ziele auf Nasenbluten, der Ueberfluß solte wieder einmal ausfließen.* Cuius veritatis quam *nubem* veluti testium in compluribus auctorum scriptis habeamus, non est ut vberiori illius demonstrationi immoremur.

## §. IV.

§. IV.

De altero autem haemorrhagiarum respectu, nempe *resolvente et attenuante*, quispiam forte dubitaret: dubium autem qualecumque mox excidere potest, si perpenditur, quod in quovis fere molimine haemorrhagico *motuum augmentum* occurrat. Quo sane efficitur, ut sanguis spissus prius resolvatur atque ad excretionem praeparetur. Equidem in calidis climatibus isto motuum augmento non adeo opus est, sed haemorrhagiae magis *tacite* erumpunt; in frigidis autem regionibus, sanguinem spissum alentibus, sine ista humorum quassatione haemorrhagicus finis raro obtinetur. Qui autem serio vult finem, vult etiam media ad eundem.

§. V.

*Tertius* fluxionum sanguinearum finis est *cacochymiae* seu pravae qualitatis *correctio et expulsio*. De plethora notum est, quod ordinarias se- et excretiones multum impediat, eoque ipso cacochymiam accumulet. Imminuta ergo per haemorrhagiam quantitate qualitas sanguinis optime corrigitur et eliminatur. Cuius actus therapeutici specimen saepe observamus in acutis, quando natura *qualitatis* vitium per febrem *continuum* excernere intendit, huic autem labori plethora impedimento est: tum enim non raro contingit, ut motus febris *continentis* accedant, et ipsa haemorrhagia narium sequatur.

§. VI.

*Quartus* denique haemorrhagiarum respectus est *laesionis* cuiuscunque in partibus solidis *abstersio et restauratio*. De hoc respectu haemorrhagico perparum apud auctores pathologico-practicos legimus: qua de causa congruum esse duco, de ea re paullulum circumscriptius exponere.

§. VII.

Viscerum laesiones varie differunt: dantur infarctus et scirrho, dantur ulcera et apostemata, dantur etiam varia heterogenea

nea concreta et sarcomata. De iis generatim notum est, quod in vitalibus partibus vel absolute insanabiles sint, vel difficulter admodum restaurentur. Interim ipsa natura est optima sui medica-  
trix, et in talibus periculis corpus suum quovis modo defendere allaborat. Quem in finem beneficio motus tonici partes fluidas ad eum locum copiosius dirigit, ubi laesio quaedam haeret, ut id, quod ibi impurum et impactum fovetur, abstergatur, resolvetur, mundificetur et laesa pars, quoad ejus fieri potest, restitatur. Bona quidem intentio, sed irritus plerumque est labor et effectus: interim ut desint vires, tamen est laudanda voluntas; saltem medicus *συνεργος* hanc intensionem debet habere perfectam, atque ad eam auxilia sua commodare.

## §. VIII.

In hoc conamine therapeutico admodum memorabile est, quod natura, secundum HIPPOCRATEM, sibi ELIGAT vias, ad apospasmata ista excernenda: quodlibet enim in quolibet loco et in qualibet corporis cavitate tentare, sapientis motuum administrationis nomen non mereretur. Hinc provido horum viarum selectu partes fluidas modo ad caput, modo ad pectoris regionem, modo ad abdominalia viscera dirigit, ibidemque, ut fert rerum conditio ac necessitas, corrigendo, abstergendo et excernendo laborat.

## §. IX.

Ut autem labor iste therapeuticus naturae clariori luci reddatur, per singulas corporis cavitates eundem demonstrabo. In *capitis* cavitate varias partium solidarum laesiones aliquando reperiri, cadaverum sectiones abunde detexerunt. e. g. verrucas durae matris; A. N. C. lapillum intra duram et piam matrem, ibid. lapidem in nervis opticis BLEGNY *Zodiaco gallico*, glandulam pinealem petrosam A. E. L. aliaque glandulosarum partium indurationes, immo corruptiones et ulcerationes. Qui medicus attentus est in symptomatibus quibus eiusmodi aegrotantes, dum vi-  
vunt,

vunt, affliguntur, pertinaces non solum humorum ad caput congestiones et perennes fere cephalaeas, sed etiam frequentes per nares excretiones, iam catarrhales, iam haemorrhagicas observabit; at paucum cum levamine, quatenus causa materialis peccans neque per coryzam neque per haemorrhagiam narium excerni potest.

## §. X.

Ad *pectoris* cavitatem me convertito, in qua varias, pulmonum praecipue, laesiones animadvertimus, e.g. collectiones scirrhusas, ulcerationes modo simplices modo fistulosas, vomicas, concretiones cum pleura insignes. In quibus aegrotis Medici non tantumprehendunt contumaces et pectus varie affligentes humorum congestiones, sed etiam alterantes saepius excretiones, iam mucido-serosas per tussim, iam sanguineas per haemoptysin. Neque adeo rarum est, quod cum sanguine haemoptico scirrhi aut parvae vomicae, peculiari tunica sua adhuc inclusae, simul rejiciantur. Ex quibus liquet, conatum naturae non semper esse irritum, licet intimiorem laesionem funditus restaurare non possit.

## §. XI.

Denique viscerum *abdominalium* laesiones consideramus, et qua ratione in iis, per haemorrhagias abstergendis et sanandis, natura occupata sit, perpendimus. Occurrunt autem praecipue laesiones in partibus, cum *vena portae* connexis, nempe hepate, liene, mesenterio, pancreate, ventriculo, intestinis, et respectu sexus sequioris in utero: praeterea non raro laeduntur partes *urinariae* et *seminales*, quarum vasa imprimis furculi sunt *venae cavae*. Harum laesionum varietas neminem fugit medicorum: offendimus enim hic scirrhusos, illic abscessus, istuc ulcerationes et quae sunt reliqua in vesicis concreta calculosa. Frequentissime autem omnium laesiones patiuntur mesenterium et uterus cum partibus adnexis: utrimque enim reperiuntur scirrhi copiosi, ad

nucis vsque iuglandis magnitudinem extensi, et praeterea verae ulcerationes. Non adeo ampla quidem est cavitas, amplissimum autem medicis aperit campum, vt facultates suas in eo exercere possint. Non solum enim plurimi motus et actus molesti in hac abdominali cavitate sentiuntur, sed etiam quinque haemorrhagiarum species in ea occurrunt. Quo sane motuum adparatu et haemorrhagiarum quarumcunque concursu Medicus perpenſi debet esse iudicii, vt probe distinguere valeat, num iste labor naturae plethoram simpliciter imminuendam, spissitudinem humorum resolvendam et cacochymiam excernendam, an vero partium solidarum laesiones abstergendas et restaurandas respiciat.

## §. XII.

Quamquam autem respectu methodi medendi parum hic discriminis intercedat: eximiam tamen eiusmodi diagnosise utilitatem adfert ad prognosin rite formandam, et artis ministerium a contumeliarum aculeis liberandum. Si enim partium solum fluidarum vitii emendandis iste labor destinatus est, restitutionem in integrum a dextra curatione et congruente diaeta certo sperare, immo sine formidine promittere licet. Quod si vero viscerum laesionis causa subsit, circumspccta iubet providentia, a vanis promissionibus abstinere et periculum nullo modo dissimulare.

## §. XIII.

Interea visceralis laesionis indubium fere signum est: quando et Medicus congrua methodo et aegrotans conveniente diaeta in officiis suis aliquandiu manserunt, morbus autem non in melius sed potius in deterius mutatur. Illustrationis causa haemorrhoidum et mensium fluxionem allegabo. Accidit non ita raro, vt haemorrhoidarii multum ac diu, quotidie fere et aliquot annis, ab hoc fluxu iam cruento, iam feroso-mucido molestentur, eorumque penus, quae antea maximopere fuit opulenta, penitus fere nunc consumatur. In quo casu si indicationibus

bus quibuslibet therapeuticis fit satis, motus tamen molesti augentur et haemorrhoidum fluxus in dies copiosior ac turbulentior redditur: tunc ne HIPPOCRATES quidem, praeclarae alias de haemorrhoidum usu differens, non dubitat, talem fluxum sanguinis habere suspectum, et exitus lethalis antecurforem.

## §. XIV.

Eodem modo res se habet cum mensibus, qualibet periodo non solum largiter, sed re vera saepius nimium fluentibus, tempus plurium dierum ducentibus, multisque annis eandem scenam ludentibus, et optimam medelam respicientibus. Eiusmodi enim haemorrhagiae in hecticam tandem transmigrant, et quando post mortem cadavera sectioni subjiciuntur, mira saepe laesionum et corruptionum phaenomena adparent, nempe scirrhii magni et plures, per vteri substantiam disseminati et ovaria quoque occupantes, ulcerationes et apostemata, molae carnae, fungosae, varia concreta ad testaceam vsque duritiem obfirmata. Quis hic non videt, omnes naturae conatus per copiosas effusiones, tam sanguinis, quam feri, irritos esse ac inanes. Per vulgus quoque notum est, eiusmodi feminas, quarum menses admodum sunt copiosi et frustis coagulatis conspicui, plerumque esse steriles: harum enim partium laesiones fonticae, non facile admittunt conceptionem, saltem in causis sunt, ut foetus immaturus excludatur.



## CAPVT TERTIVM.

*De tractatione haemorrhagiarum therapeutica, ad quatuor earum fines accommodata.*

## §. I.

**H**aemorrhagiarum naturalium septem species capite primo explicatae sunt: quarum tres, nempe *haemoptysis*, *vomitus cruentus* et *mictus cruentus* nullo modo tolerandae sunt. Quocunque enim bono fine a natura excitentur: tantum tamen abest, vt eundem obtineant, vt potius in periculosis earum locis eximium saepe damnum adferant. Qua de caussa non quidem directe per adstringentia cohiberi, attamen prudente ratione demulceri et ab hisce regionibus averti debent.

## §. II.

Itaque *demulcere* commotionem sanguinis orgasmicam, et *derivare ac revellere* congestos humores a periculosis ad securiora loca, sunt principes indicationes, ad quas Medicus in tribus illis haemorrhagiis animum et oculos intendere debet. Prima indicatio in paroxysmo, altera extra eundem potissimum habet locum.

## §. III.

Motuum impetus optime demulcetur blandiente isto pulvere antorgastico, hodie vbivis cognito, ex nitro, absorbente et cinnabari congrua proportione parando et singulis propemodum horis ad dimidiam vsque drachmam propinando. Orgasmm sanguinis etiam demulcent acidula, (quae tamen in haemoptysi minus conveniunt,) item emulsiones et gelatinae, praecipue de-  
coctum



coctum cornu cervi, eboris. Sufficiens et dilutus potus simplex itidem conducit, neque serum lactis contemnendum, ubique autem alvus aperta conservanda est, sive per clysteres lenientes, sive per blanda remedia e tamarindis, passulis, rhabarbaro cum cremore tartari praeparata. Ex compositis vsitatis pilulae STAHLII, coniunctis supra laudatis temperantibus, secure adhiberi possunt. Praeterea aequalem sanguinis distributionem per portiones diaphnoicas respicere et in subiectis non adeo teneris pulveribus demulcentibus interponere licet STAHLII mixturam discutientem, quae ex alcali fixo et volatili paratur.

§. IV.

Quod si vero haec methodus demulcens in casibus quibusdam contumacibus non sufficeret, *lenia anodyna* et *moderate sistentia* coniungenda vicibusque alternis propinanda essent, ita quidem, ut primum pulvis temperans, post horam anodyno-sistens, tertia hora iterum temperans et quarta anodynus exhibeatur, tamque diu alternatio haec continuetur, donec impetus haemorrhagicus fuerit compositus. Parari autem potest eiusmodi pulvis anodyno-sistens ex subanstringentibus corall. ppt. crystall. mont. cort. cascarill. speciebus de hyacintho, gemmis, croc. mart. antimoniat. tener. et anodynis Mass. pilul. de cynoglossa, laudan. opiat. theriac. coelest. extr. croci, opio cydoniato et fermentato. e. g. Rec. crystall. mont. praep. specier. de hyacintho, corall. rubr. praep. ana drachm. I. mass. pilul. de cynogl. theriac. coelest. ana scrupul. semis. M. optime, div. in X. part. aequales.

§. V.

Dantur aliquando casus admodum rebelles, qui neque demulcentibus neque blandis sistentibus auscultant, sed impetuosius ac copiosis effusionibus vitae periculum minitantur. Quo rerum

rum discrimine ex duobus malis id, quod minus est, eligere et *efficacia adstringentia* in subsidium vocare cogimur. Hic valent croc. mart. antimoniati. adstring. it. croc. miner. mart. solar. Hafl. fiac. tinct. terr. catechu liq. min. martis. e. g. Rec. croc. min. mart. scrup. I. Mass. pil. de cynogl. scrup. femis. M. d. in V. part. aequales, singulisque horis, quamdiu periculum imminet, dosis quaedam offeratur. In eiusmodi haemorrhagiis effrenatis ad *topica* quoque, et quidem ante, quam ad interna adstringentia accedimus, confugere solemus, e. g. ad frictiones, sinapismos, ligaturas extremarum partium, praecipue vero ad sympathetica, ex quibus *pulvis* DYGBAEI aliis praefertendus et in extrema necessitate sacra saepius ancora est. Solvimus duas circiter drachmas uncias aliquot aquae, et solutionem moderato calori adponendo, sanguinem addendo et ligno vel sympathetico vel communi agitando ad siccitatem evaporamus.

## §. VI.

Non obliviscor autem cautionis illius, quam D. PRAESES sub usu adstringentium *Tab. V. Conspectus practici* adhibendam commendat, et quidem sequentibus verbis. *Facilius est haemorrhagiam per adstringentia provocare, quam haemorrhagias per eadem sistere; parva enim dosi exhibita fluxum non sistunt sed potius augent: quando autem copiose ingeruntur, succedunt viscerum obstructiones, stases, suppurations. Ut itaque error, pluribus communis, evitetur, sequentes regulae, quae errare non permittunt, observentur. Non exhibeantur, nisi omnia prius applicata sint, quae ad contemperandum & blande sistendum commendavimus. Quando autem casus necessitatis eorum usum efflagitare videtur, tum potissimum externe, raro autem, nec affatim, interne exhibeantur.*

## §. VII.

Quam primum haemorrhagia remittit, *tonica roboratio locum*

cum

cum habet: in quem finem commendamus mixturam tonico-nervinam STAHLII, supra laudatam, essentiam cascarillae, tincturam martis LUDOVICI. Speciatim in *haemoptyscos* declinatione abstergentia pectoralia adhibenda sunt, ne resistentes forte extra vasa portiones in corruptionem abeant, et phthisin generent. Cui abstersioni et discussione in primis faveant decocta ex herb. veron. scord. chaer. fol. salv. heder. terrestr. fanicul. flor. bellid. Item lixivium ex absorbente pulvere et vino paratum. Vomitu autem cruento cessante blandum laxans propinetur, ut residuae in ventriculo portiones excernantur. Denique ad iacturam sanguinis recuperandam temperata analeptica, e. g. emulsiva, gelatinosa, decocta avenae, hordei, iuscula vitellina, adsumantur.

## §. VIII.

Haec sunt, quae in paroxysmo et eodem declinante conducunt. Quam primum autem sanguinis iactura restituta est et plethora iterum pullulare incipit, altera indicatio, quam extra paroxysmum effectui dandam esse supra diximus, respicienda est. Involuit autem illa derivationem et revulsionem humorum a locis periculosis ad securiores regiones, ut pristina sanguinis eruptio hac ratione sufflaminetur. Quem quidem in finem commendari novimus promotionem haemorrhagiarum naturalium per congruentia loca, neque eandem in sexu sequiore improbamus; ratione autem sexus virilis haud exiguas hac in re difficultates, infra exponendas, animadvertimus. Qua de causa ad artificialem potius sanguinis imminutionem per V. Sectiones, scarificationes et hirudinem applicationes commendamus. Verum enim vero quum et has, utt frequenter institutas, raro sufficere notissimum sit, talem plethorae imminutionem serio suademus, quae omnium perfectissima et securissima deprehenditur, scilicet quod-

D

tidic-

tidianam sanguinis in serum resolutionem et per blandam diaphoresin excretionem. Quibus autem modis id obtinendum sit, num remediis pharmaceuticis, an vero diaeteticis, cumprimis laboriosis: pro individuorum differente conditione determinandum est.

## §. IX.

Progredior nunc ad illas haemorrhagias, quae per secura quidem loca contingunt, nihilo tamen minus aliquando insolescere, ideoque therapiam medicam requirere solent. Duae sunt, quae sexui magis masculino, duae etiam, quae feminino absolute propriae sunt. Illae dicuntur *haemorrhagia narium* et *haemorrhoides*; hae autem *menfes* et *lochia*; de posterioribus notissimum est, quod illarum legitima fluxio necessitatem involvat absolutam: de prioribus autem longe aliter judicandum esse per vulgus constat. Plurimi enim hominum optime valent, licet haemorrhagias naturales nunquam experiantur. Ex contraria parte compertissimum est, quod multi quidem in haemorrhoidibus praecipue promovendis sanitatis obtinendae fulcrum quaerant, loco autem venae *aureae plumbeae* reportent. Itaque longe feliciores censemus illos Viros, qui a motibus et fluxionibus sanguinis liberi exoptata valetudine fruuntur.

## §. X.

Quoniam autem medicorum officium est, haemorrhagicos actus, in viis securis vrgentes, congruente ratione tractare: eadem quidem Methodus, quam periculosis locis supra destinavimus, in largioribus et vere nimiis eruptionibus locum habet; qua autem ratione *defectus* harum haemorrhagiarum in ordinem redigendus sit, non est huius loci, vt doceatur. Interim eo semper

semper respicere convenit, ut in aliorum valetudinem conflentes perfectiorem conservandae et restaurandae sanitatis viam supra indicatam, imperfectiori ubique praeferramus, et optimam consumendae plethorae rationem cum illis incamus. Sic enim tres principes haemorrhagiarum naturalium fines, videlicet quantitatis imminutionem, spissitudinis resolutionem, et noxiae qualitatis expulsionem indubitate et longe certius, quam per largiores naturales haemorrhagias, obtinemus.

## §. XI.

Quod autem ad *quartum* haemorrhagiarum respectum attinet, nempe laesionis visceralis absterfionem et restaurationem, nostra quidem ars summa difficultate premitur, et aegrotantium conditio maximis in ea re periculis constituta est: nihilo tamen minus in spem qualemcumque animum erigere, haemorrhagiam suspectam auxiliis pharmaceuticis, supra commendatis, patienter et continenter tractare convenit. Quamquam enim in laesionibus supremi gradus, nempe ulceratis et apostematosis, oleum et operam perdere videamur: in scirrhis tamen collectionibus aliisque levioribus partium solidarum vitiis contingit aliquando, ut aegrotans, praeter spem et opinionem, feliciter emergat.

## §. XII.

Si vero unquam in chronicis morbis, certe in his casibus chronica curatio requiritur: scirrhus enim resolvere aut alia heterogenea, diu impacta, operose abstergere, per singulas moleculas detrudere et discutere, non hebdomadis, non mensis unius labor est. Praeter autem curationem generaliorem, quam haemorrhagiis noxiis supra destinavimus, talia quoque remedia

28 *Cap. III. De tractatione haemorrhagiarum therapeutica.*

subiungere convenit, quae in laesionibus internis specificum edere effectum creduntur. Huc praecipue pertinent plantae istae, a PARACELSO maximopere laudatae, quae colliquationem egregie promovent. e. g. fanicula, et, concurrente maiore ardore, pyrola; quae si cum radicibus ari, vincetoxici et pimpinellae albae in formula decocti melliti aliquamdiu propinantur, effectus interdum spe maiores producuntur.

T A N T V M.



VIRO



V I R O  
NOBILISSIMO, PRAECLARISSIMO  
CAROLO LVDOVICO  
MECKELBURG  
CANDIDATO DOCTISSIMO  
S. D. P.  
P R A E S E S.



iquid est in spatiosissimo artis medicae ambitu, quod curatiorem quamdam requirat peruestigationem et attentionem maxime concitatam, certe nihil magis est, quam oeconomia corporis motuum ac haemorrhagarum speciatim naturalium. Neminem enim fuge.

D 3

re

re arbitror, nisi forte historiae medicae prorsus ignarum, quod ab antiquissimis temporibus illa ipsa res medicorum cogitationes mire fatigauerit eorumque curam in perscrutandis corporis nostri phaenomenis semper tenuerit anxiam. Neque vero quemquam facile poterit latere, quod et hodie, superbiente eruditionis medicae aedificio multisque rebus illustratis et in aprico positis, harum inquam haemorrhagiarum respectus, indoles et tractatio nihilo secius multorum medicorum vexet meditationes. Quae quidem res ita est aperta, ita nota, ut rationibus ex alto arcessitis aut demonstratione ulteriori neququam omnino egere videatur. Consideret, cui volupe est, complurium haud ex proletaria medicorum multitudine molimina in suppressendis haemorrhagiis salutaribus iisdemque prouocandis, quum iusto parciore ipsas visae fuerint, et videbit, quot quantique errores quotidie admittantur quaeque pericula incongruae curationes infelici aegrotorum turbae minentur. Quae igitur, quum hunc in modum sint comparata, praeclare utique fecisti, CANDIDATE doctissime, et laudabiliter capeffisti rem publicam medicam, qui eruditam de quadruplici haemorrhagiarum



giarum naturalium respectu scripseris dissertationem.

Sententiam hac de re TVAM ad mentem STAHLII et organicorum tanta cum industria, eruditione tanta, tot denique argumentis suffultam declarasti, vt non possim non de TVA in tractandis morbis ac haemorrhagiis praecipue naturalibus sapienter dirigendis, dexteritate optime augurari. Gratulor itaque ex animo, CANDIDATE doctissime, specimen istud diligentiae TVAE luculentissimum, gratulor cursum studiorum feliciter transactum et tandem gratulor statim mox TIBI publice conferendos honores. Nullus plane dubito, fore, vt diuina annuente clementia cuncta TIBI prospera et auspiciatissima eueniant, atque id quidem est, quo tendunt vota mea sincera, et quod ex animo iterum iterumque TIBI apprecor. Vale et faue. Dabam in Fridericiana ipsis Idibus Octobris MDCCXXXVI.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO  
NEC NON  
DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.  
CAROLVS FRIDERICVS PAVLI,  
SAALF. BOR.



Vtique, Amice, ad ordinariam abortus tanquam homicidii poenam requirunt, ICTi certum et euidentem nascituri vitae signum; aut nequiquam ex distinctione quadam in foetum animatum et inanimatum. Huius diuisionis fundamentum a Philosophis explosum hodierni abhorrent legum interpretes, quamuis olim cum vniuerso fere Philosophorum coetu applauderint. Sed vt tibi notum sit, ICTis falsum quod imputasse *Bertuchium* medicinae Doctorem in Diss. Inaugur. scias velim: quod nemini affligatur homicidii poena, nisi iam constet de corpore delicti, quem terminum ICTi induunt, veritati delictum esse commissum. Non solum ab incunabilis, sed in vtero etiam tot homo periculis subiectus, vt sub initio vitae saepe embryo viuere desinat, cuius rei medicorum omnium aduoco testimonium. Iam cum ante motum foetus palpabilem non constet, vtrum adhuc viuat an in viuis esse desierit foetus, iustitiae vero sit, neminem criminis reum iudicari, nisi corpus adsit delicti, hinc in procurato abortu ex hoc fundamento ICTi tempus motus palpabilis foetus attendunt, non vero ex diuisione quadam in foetum animatum et inanimatum. Mihi ex principiis iuridicis concludenti et C. C. Art. CXXXIII. eiusque interpretatio logica afficit. Errat ergo *Bertuchius*, qui manus proteruas in messem alienam sibi igno-

ignotam immittens; nullam gestationis in vtero periodum in poena abortus procurati esse admittendam statuit. TV vero, AMICE, faciendo quae TVA sunt, relinquendo quae sunt aliena assiduum medicinae cultorem, non iuridicum TE praestitisti turbonem. Iustos medendi artis limites perpendens illi totum TE consecrasti, et omnibus TVIS fati non obstantibus, ad summum honoris culmen, quod felix faustumque sit opto, hodie conscendis. Gratulabundus hinc ex sincero quem nosti animo, adsum, de gradu Doctorali eiusque iuribus iam iam capessendis; ex quibus post nubila solem cognoscis. Applaudunt mecum omnes boni, malevoli vero erubescunt et silent. Vale! Dabam in Fridericiana clbcccxxxvi.



Quid iuuet illaesa virtutis colere castra;  
 Quosque ferat fructus labor improbus olim amoenos,  
 Splendidus hicce dies testificatur aperte;  
 Vt igitur faciam quod fasque piumque est Amice  
 Ex animo de hocce TVO specimine plaudo:  
 Ipse DEVS summus benedicat prospere captis  
 Ex alto meritis Doctoris honoribus, addo:  
 Crescas in laudem venerandi Hippocratis, opto!  
 Divo Galeno semper felicior esto!  
 Sis Aesculapio mirando maior in arte!  
 VIVE diu saucasque mihi, sic vive valeque!

Haec in sempiternam amicitiae memoriam Praenobil. Dn. Doctorando inter solemnes acclamationes gratulabundus adiiicere voluit

G. B. Thiesen, Rast. Boruff.  
 Med. Candidat.


E

Mimm

**S**imm, Werthgeschätzter Freund, den wohl erkämpften Preis,  
 Den Dir der Musen Hand um Deine Schläfe beuget,  
 Da sie der Thoren Schaar mit dringendem Verweis  
 Für Deinen Lorbeer-Zweig ein Pappel-Kränzchen zeigt.  
 Der heiße Glückwunsch bricht aus treuer Freunde Mund,  
 Die Dein gepriesnes Wol mit reger Lust entzucket:  
 Die Wahrheit machte viel von deinem Lobe kund  
 Wenn Deine Sittsamkeit nicht solches unterdrucket.  
 Die letzte Parce soll den Fadenschnitt vergessen,  
 Wenn die bewährte Kunst der Weisen Leben schützt,  
 Die Vorsicht aber wird Dein daurend Wohlsein messen  
 Nach dem entferntesten Ziel, was Creaturen müht.

Hiedurch wolte seinem Höchstgeschätzten Freunde  
 bey dessen erhaltenen Doctor-Würde erge-  
 benst glückwünschen

**N. C. Göhler,**  
 der Weltweisheit und Gottesgelartheit  
 Befliffener.



PRAESTANTISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**

S. D.

DANIEL SIGISMUNDVS CONRADI L.L. C.

ELBINGA BORVSSVS.

**R**erum omnium moderatoris est, per varios casus vitaeque omnia  
 discrimina non solum res ita dirigere, vt summi numinis gloria  
 elucefeat et maxime admiranda existat, sed tanta quoque eius est cle-  
 mentia,

mentia, vt aduersam aequae ac ad prosperam fortunam ei esse saluti iubeat quem contigit. Huic providentia diuina omnia ex voto fieri finit ac per bona huc illucve prouentia virtutum stimulum subdit; illi turbidae res et angustae animosi pectoris, sapientiae et prudentiae existunt calcar. Vterque si prouentibus fati, diuino conformiter directorio, vitur, meretur palmam, pulchrior tamen illi manet corona qui aduersae fortunae victor, quam secundae moderator fuit: pauciora enim ille huic virtutis motiua cognouit et tamen arripuit. Contrariantibus velis tutum inueniens portum, illis, qui a suis stant partibus pectora mouet, variisque hilaritatis signis implet; eis contra, quibus infortunium suum iucundo fuit spectaculo os claudit, repellit eos eorumque pallidam inuidiam risui reddit. TE Amice, ad eos referendos esse, pace TVA, statuo, quibus fallax fortuna honoris ianuam aperit satis amplam. Prae omnibus reliquis immatura, proh dolor! mors Meritissimi, cui pietatem debet patria, Parentis eminent dolosae fortunae, quae TE profecuta est, signum, perdurabilis tamen TVAE virtutis, temperantiae prae primis et diligentiae TIBI existens stimulus. Pulcherrimam ergo iam iam merito consequeris lauream, amicis gratulabundis, hinc et mihi iucundissimam. Vae inimicis! Vale. Dabam Halae XVI Calend, Nouembris MDXXXXVI.



PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.


IOANNES GEORGIUS CRAVSIUS Th. C.

TILSA LITTHVANA PRVSSVS.

**D**elector, Amicissime, TE postulante, immo rogante, quo litteras  
Dissertationi TVAE inaugurali adiungam. Multa, quae scriberem, es-  
sent in promptu, nisi me epistolam non vero librum scribentem senti-  
rem. Elegisti, patre in cinere iam iam colendo, quoque con-  
sentiente, id studiorum genus, quod praestantiam propter suam  
et necessitatem omnino negligi nequit. Elegisti quoque argumen-  
tum dissertationis TVAE, quod ob gravitatem iure in conflictu litterario  
eo strenuus vindicari meretur, quo magis praxis in curandis morbis eo feli-  
cior eo dependet. Non enim, credo, tam multi aegrotantium diem suum  
tam mature obire cogentur, nisi multi medicorum, qui tamen, me iudi-  
ce, nomen medici stricte sic dicti, non iure merentur, morborum diuersi-  
tatem, qua gaudent, confunderent. Abstraho vero de his, mei enim  
non est fori. Scribam potius de necessitate Medici, quam habet in republi-  
ca optime constituta. Scribam de illa, sed pauca. Necessitatem vero hanc  
si conditionalem nuncupare audeo, veniam Vos scientiae medicae addicti,  
datis, rogo. Non vero sine fundamento hanc dixisse necessitatem iudico  
conditionalem. Morbos enim accidentia hominis habeo. Primum τὸ esse  
hominis nos sat fatisque edocet, Deum illum corporis firmitate creasse tanta,

vt et ab omni alieni fuerint infirmitate. Quis est, qui dicat, contrariari sapientiae diuinae, hominem producere ab omni morborum lerna semper liberum? si hoc, nec contradictionem involvere video, esse hominem, qui continua gaudeat valetudine. Ergo homo prosperitate valetudinis perpetua vtens est possibilis. Ergo infirmitas corporis non est necessarium quid hominis. Per consequens nemo non videt, valetudinis vitium esse accidens hominis. Cum iam morbus abesse ab homine possit ipsique adesse, colligere fas est, eum vel in statu deprehendi posse sano vel morbofo; illum medici apellant naturalem, hunc vero praeternaturalem. Homines nos vero ad vnum omnes in societate vniuersali, quae Deum cognoscit auctorem et gubernatorem vivimus. Officia exinde profluunt, quae, siue sint interna, siue externa, vel aliis, vel nobismet ipsis praestemus, tenemur. Officia iam haec, externa puta, non nisi firma corporis nostri constitutione commode exerceri possunt. Homo igitur in statu praeternaturali constitutus, incapax redditur ad illa praestanda. Quicumque iam morbo opprimitur, officia tamen praestare velit, prout obligatur, praeter naturalem remoueat statum oportet, id est, sanitatem praesentem conseruare studeat, et amissam restituere, operam intendat omnem, vt vtile inde evadat rei publicae membrum. Medicina vero, cum sit scientia statum naturalem conseruandi et praeter naturalem amovendi, et medicus ille, qui scientia eadem pollet; prono fluit alveo, medicum reipublicae membris bonum adferre incomparabile. Quicumque vero rempublicam perfectiorem facit, ipse necessarius eius dicatur socius, necesse est. Iam vero medicus non solum bonum reipublicae adfert, sanitatem scilicet hominum, verum etiam malum remouet, quo praesente respublica optima consistere nequit, omnibus puta eius membris aegrotantibus. Satis iam iam ex his patet, quantum medicinae adscribi debeat pretium, quanta ne-

cessitas, quantusque honor. Haec de his. Ad TE, Amice Constantissime,  
recurso. Sufficiens, qua polles, scientia medica, summum TE conscendere  
honorum cacumen, iubet. Coronaris iam necessarius reipublicae socius, et  
vt omnes TE vsuri necessitatis TVI, certissimi sint, voveo. Quod reliquum  
est, votis a bene de TE sentientibus TIBI iactis applaudo. Ita Hala abiturus  
Vale, Deo ardentissimis precibus commendatus, mihiq; si merebor, fave.  
Dabam in Academia Fridericiana MDXLVI.



**S**imm, was Dein Fleis verdienet hat  
Von der Hygea Rechten:  
Las mich nur auch ein Lorbeerblat  
In Deine Crone flechten.  
Nicht rühm' ich Deinen Doctorhut,  
Womit auch Thoren pralen:  
Nein! dieses unschätzbare Gut  
Läßt sich noch wohl bezahlen,  
Der ist noch kein gelehrter Mann,  
Wie kleine Geister glauben,  
Der Pillen übersilbern kan  
Und ein Recept verschreiben.  
Nein! wer wie Du die Kunst versteht  
Aus Gründen zu curiren,

Den



Den wird der Weg, worauf Er geht  
Zum Ehren-Tempel führen.  
Du zierst den Cranz, nicht er ziert dich,  
Du hast ihn selbst gewunden,  
Und hast Dich heut auch würdiglich  
Selbst damit angebunden:  
So sey denn durch Dich selbst beglückt  
Und gros durch eigne Grösse!  
Mir werde Glück und Stern entrückt  
So bald ich Dich vergesse.

Hiermit empfehlet sich dem Herrn Doctor,  
seinem Hochgeehrtesten Freund, bey Er-  
langung der höchsten Würde in der Me-  
dicin, dessen aufrichtiger und ergebenster  
Freund und Diener

C. G. Mitschner.

Dress. Misa.





Man 4713

ULB Halle

3


003 901 068



80







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. F. F. E. I.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
QVADRVPPLICI  
HAEMORRHAGIARVM  
NATVRALIVM RESPECTV

QVAM  
AVXILIANTE SVMMO NVMINE  
CONSENSV ATQVE AVTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE  
VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
DN. IOANNE IVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE PVBL. ORDIN.  
PRACTICO ORPHANOTROPHEI ET PAEDAGOGII REGII FELICISSIMO  
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

FAVTORE PRAECEPTORE  
OMNI DEBITO AC RELIGIOSO PIETATIS CVLTV  
AD CINERES DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

AD DIEM OCTOBRI MDCCLXXXVI.  
PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR

CAROLVS LVDOVICVS MECKELBVRG  
REGIOMONTI BORVSSVS.

HALAE MAGDEB. LITTERIS GEBAVERIANIS.